



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Victor & Corona MM. 14. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

312 VITÆ SANCTORUM. 14. Maii.
PONTIUS, & equuleo impositus,
machinam precibus rupit. Urfos in se in-
citatos cicuravit, rogam extinxit, gladio
denique cervices subjecit, usitatâ San-
ctorum modestiâ, quorum plerique ca-
pite imminuti sunt, superbis puto insti-
tuendis hac potissimum parte indomitis.

Ex Surio.

*Cum homines quotidie immaturo præ-
venti rapiantur interitu, quid restat, nisi
ut hoc brevi puncto, quo vivimus, lapsura
quæque velut jam lapsa despicere, & ad
ea, quæ permanent, pleno fervida mentis
studeamus desiderio festinare? S. Petr.
Dam. op. 12. cap. 13.*

SS. VICTOR & CORONA MM.

14. Maii.

Auspiciatissima nomina suosq; trium-
phos loquentia, VICTOREM &
CORONAM damus. Qui tamen sortitò
hæc accipis, laboriosa felicitatis omen
accipere te memento; nam cum Victore
quis Hercules se componat? Age nume-
remus Magni Herois labores. I. Digitos
articulatim elidendos sine gemitu præ-
buit. II. In Fornace accensâ triduum de-
fedit. III. Carnes veneno adipatas con-
coxit. IV. Nervos distendi, solviq; com-
pagem corporis ridens tulit. V. Oleum
fervefactum eodem quo gelidam vultu
hausit, VI. Suspensus facibus ardentibus
instu-

14. Maii. VITÆ SANCTORUM. 313
ustulatus est. VII. Venenum aceto tem-
peratum pro melle bibit. VIII. Confi-
gendam utriusque oculi pupillam obtu-
lit. IX. Pedibus tractatus prono capite
triduum pependit. X. Cum degluberetur,
tyranno tamen insultavit. Hæc invictâ pa-
tientiâ perpeffo quid mirum est bisfenos
Angelos cælo coronam attulisse, & mi-
norem insuper alteram pro C O R O N A
militari femina, quæ sic excarnificatum
felicem tamen beatumque ausa dicere di-
gna Deo visa est, quæ non agones tan-
rum illius, sed præmia etiam aspiceret.
Annum conjugii alterum, vitæ decimum
sextum agebat, quo propius miraculo
fuit non trepidasse, cum bina palmarum
cacumina ad terram ingenti depressa nisu
cerneret, quæ à se invicem iterum disces-
sura mediam distraherent. Alligari tamen
se sustinuit, & lacerato corpore, inte-
grum animum cælo intulit. VICTOR glâ-
dio cæsus eam secutus est: sic olim ad a-
stra itum. Nunc coronæ vilius veneunt.
Nullæ nos palmæ distrahunt; animum à
mundo avelle, Coronam spondeo, &
victorem appellabo. Ex Sur.

*Mundo se extraneum homo reddat, ut
Deo propensioris gratia largitate familia-
ris adhæreat. Mundo mortuus vivat, à
terrenis vexationibus se subtrahat, ac ve-
lut in sepulchro jam positus in solo Creatoris
sui desiderio suaviter requiescat. S. Pet.
Dam. op. 12. c. 32.*

V 5

SS. PE-